

revelare. Hæc eadem testimonia a Concilio Nicæno I. proferuntur, ut probet, impossibile esse naturaliter penetrare divinæ generationis mysterium. Matth. 16. 17. *Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Nomine autem carnis, & sanguinis, ait S. Cyrillus Alexandrinus in orat. de Verbi incarnatione, non venire tantum cognitionem habitam ex sensibus, sed quancumque, dummodo sit naturæ viribus acquisita. *In ipsam rem curiosius noli inquirere: non enim per Græcorum sapientiam, aut mundanum sensum percipitur, sed ab utroque est aliena: Beatus es Simon Bar-Jona, inquit Dominus, quia caro & sanguis non revelavit tibi, &c. nam Filii Dei cognitio cœlestis, divinæque inspirationis donum est.*

II. Probat ex Conciliis. Nicænum I. generale lib. 2., probat, ut diximus, divinæ generationis naturalem incognoscibilitatem ex verbis Matthæi, & Lucæ, nuper relatis. Synodus Antiochena I. celebrata tempore Dionysii Papæ, ut ait Frassen, in professione Fidei hæc habet: *Notionem Dei utcumque mediocrem si habemus revelante Filio ejus, sicut ait: Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius revelaverit, contenti esse debemus.*

III. Probat ex Patribus. Epiphanius hæres. 76. *Omnia prætervolant, & excedunt, & omnem causam syllogisticam relinquunt doctrinali illi ex divina Scriptura sententia, nempe, nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem, nisi Filius, & cui is revelavit. Revelat autem per Spiritum Sanctum non his, qui de ipso per syllogismos ratiocinantur, sed qui in ipsum legitime, ac perfecte credunt.* Nazianzenus orat. de Theologia num. 67. *Ducem potius fidem, quam rationem, sequamur, si modo ingenii tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut quænam sint ea, quæ rationis humanae captum excedunt, cognoscas: Ne aliqui prorsus terrenus sis, ipsam quoque ignorantiam tuam ignorans.* Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum c. 10. *Impossibile est, generationis Verbi divini scire secretum, mens deficit, vox silet.* Hieronymus in præem. lib. 18. in Isaiam, *Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiæ.* Hilarius lib. 1. de Trinit. *Respuit captiosas, & inutiles Philosophia questiones fides constans; neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spoliū se præbet veritatis falsitati.* Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 6. *Deum esse Trinitatem, credimus potius, quam videmus.* Idem epist. 55. *Multa sunt, quæ de Trinitate.*

PAR. II.

*tatis ineffabilitate dicuntur, non ut ipsa dicatur, alioqui non esset ineffabilis, sed ut illis dictis, illa dici non posse intelligatur.* Hormisda Papa in ep. ad Justinianum Imperatorem: *Secretum Trinitatis neque ulla visibilibus, vel invisibilibus creaturarum potuit investigare natura.*

IV. Probat Rationibus I. Debet esse proportio inter objectum, & potentiam; sed nulla est proportio inter potentiam naturalem, & objectum supernaturale: ergo nullo modo potest naturalis intellectiva potentia creata cognoscere mysterium Trinitatis, quod est omnino supernaturale. II. Nulla potest esse demonstratio, quæ Trinitatis possit probare certam, & evidentem cognitionem: ergo demonstrative probari non potest. Probat antecedens. Non potest esse demonstratio a priori; quia sancta Trinitas causam non habet, quum sit omnino independens ab omni causa extrinseca, nequit esse demonstratio a posteriori; quia creaturæ non dicunt ordinem ad Deum ut trinum, sed ad Deum ut unum; nec potest etiam esse aliquid æquivalens, quod constituat demonstrationem æquiparentiæ, ut Lullius asserit; quia omnes Lullii rationes vel Trinitatem supponunt, vel eam impugnant, & solvunt: ergo vel negative, vel supposita revelatione probant. Quod esset probandum, in solutione argumentorum Lullii videbitur. III. Quodcumque in creatis invenitur est Trinitati magis dissimile, quam simile: ergo non potest esse perfectum exemplum, vel adæquatam vestigiū, ut Trinitas naturaliter vel cognoscatur, vel probeatur. Antecedens probat P. Magnanus ex S. Thoma in 1. dist. 33. ar. 1., & magis constat ex inspectione exemplorum, & vestigiorum, quæ ab Adversariis proponuntur. IV. Si Trinitas posset naturaliter demonstrari, maxime demonstraretur per interna principia ejusdem; sed hæc non sunt minus nobis incognita naturaliter, quam sit ipsa Trinitas: ergo per illa demonstrari non potest. Probat minor. Non est ita evidens, Deum esse trinum, ex eo quod sit Deus, quam est evidens, Deum esse omnipotentem, justum, sanctum, omniscium, ex eo quod sit Deus; sed contrarium hujusce assertionis sequeretur, si principia interna Trinitatis essent nobis minus incognita, quam sit ipsa Trinitas: ergo &c. Minor constat consideranti connexionem, quam illa cum Deo, habent, & Trinitas non habet. V. Non supposita revelatione non possunt cognosci divinæ

A 2

pro-